

D. F. G.
SPECIMEN INAUGURALE,
SISTENS
MEDICAMENTA
GRAVEOLENTIA,

92
BS

QUOD,
CONSENT. AMPLISS. SENAT. MEDIC. UPSAL.
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISS. & EXPERIENTISS.

DN. DOCT. CAROLI
LINNÆI,

EQVITIS AURAT. DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,
MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. UPSAL. STOCKHOLM. PETROPOL. BE-
ROLIN. IMP. NAT. CUR. LONDIN. MONS-
PEL. TOLOS. ET FLORENT. SOCIJ,
FAC. MED. h. t. DECANI,
PRO GRADU DOCTORIS,
PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ SUBMITTIT

JONAS THEODOR. FAGRÆUS,
PHILOSOPHIÆ MAGISTER,
SMOLANDUS.

IN AUD. CAROL. MAJ. H. A. & P. M. S.
D. XIII. JUNII ANNI MDCCLVIII.

U P S A L I Æ.
Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

Guller 49

KONGL. MAJ:TS
TROMAN och COMMERCE RÅD

Samt

RIDDARE af Kongl. Nordstjerne Orden,
Ledamot af Kongl. Svenska Vetensk. Academien,
VÅLBORNE

HERR JONAS
ALSTRÖMER,

NÅDIGE HERRE,

Sedan i våra tider, de så kallade lärda språken ån-
teligen måst lämna något rum åt Vetenskaper,
som både pryda och gagna; skulle jag icke ut-
tan särdeles förseelte mot våra Lärda, gå in uti upre-
pandet af Herr Commerce Rådets och Riddarens
makalösa Egenskaper och Förtjenster. Sundare be-
grep om vårt Landtbruk, våra Handaflogder, vå-
ra Berg-

ra Bergværk och vår Handel, pryda nu Lager-
kranfen, men stå icke til fångs utom nogare kån-
nedom af en så fridsam Herres mer än Hjeltelika
Bedrifter. Tillåt dertfore, NÅDIGE HERRE, at, un-
der billig tyftnad, om Edert nit för det almånna,
jag endast, med glansen af Edert Namn må visa,
genom hvilken Mecænåt jag hunnit de tramsteg,
hvarå jag nu har tilfålle aflågga något prof. Så-
dan Eder Nåd skal af mig prisas så länge jag lef-
ver, likasom jag ingen ting högre önskar, än at
Förfynden ånnu i många tider täckes uprätthålla en
Hjessa, som, af tusende nyttiga omsorger, grånat
för Nåtans väl; Då fylles mitt hopp och ökes
min fågnad, medan jag med djupesta vördnad o-
afåtelingen framhårdar at vara

VÅLBORNE HERR COMMERCE-RÅDETS
OCH RIDDARENS,
MIN NÅDIGE HERRES,

Allerödmjukaste Tienare

JONAS THEODOR FAGRÆUS.

REGII COLLE
PRÆ

NOBILISSIMO at

DN. DOCT. ABRAHA

S:æ R:æ M:tis ARCHIATRO, Reg. Acad. Upsal.

nec

ASSESSO

Viris Nobilissimis

D. Doct. MARTINO REEF,

S:æ R:æ M:tis Med. Ord.

D. Doct. ZACH. STRANDBERG,

Civit. Holm. & Orphanotr. Reg. Med. Ord.

Acad. Reg. Scient. Holm. Membro,

D. Doct. JOH. BERGSTRAHL,

Class. Reg. Med. Ord.

(Patronis &
Omni Veneratio

Specimen hoc Academicum ob collata in se be
ma animi pietate, offert

*Nobilissimorum &
NOMINUM*

Cultor

JONAS THEOD.

GII MEDICI
SIDI,

que CELEBERRIMO

MO BÆCK,

Stockh. atque Nat. Cur. MEMBRO,
non
RIBUS

& Experientissimis

D. Doct. MICH. KAMMECKER,
Aul. Reg. Med. Ord.

D. Doct. E R I C. E L F F,
Art. Obstetr. Profess. Publ. Ord.

D. Doct. JOH. AND. DARELIO,
Nosocom. Holm. Med. Ord.

Promotoribus,
ne Prosequendis,

neficia & in ulteriorem fui commendationem, sum-

Amplissimorum
VESTRORUM

Devotissimus
FAGRÆUS.

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE och Öfver-DIRECTEUR,
VÅLBORNE
Herr P A T R I C K
A L S T R Ö M E R,
Höggunstige HERRE,

Icke blott til en prydnad, lånar jag här Edert
vårda Namn; utan mångfaldiga rön af Edert
medfödda Ädelmod och mig alltid benägna Hjer-
ta fordra sådant, i brist på önskeligare tilfälle, at
för allmänheten yttra den tacksamhet och vörd-
nad, hvarmed jag beständigt lefver

VÅLBORNE *Herr* Öfver-DIRECTEURENS,
Min Höggunstige HERRES,

Ödmiukaste Tjenare
JONAS THEODOR FAGRÆUS.



I. N. D.

§. I.



uemadmodum acceptissima omnibus
Sanitas ipsius vitæ effectus est; sic
detestandus Morbus mortis præco,
cui debellando invigilaturi, nescio
quæ non tentaverint miseri mor-
tales, donec fortuna potius & ca-
su, quam specie aliqua certitudinis
tandem inciderint in dulce leva-

men mali. Hoc vero notatum sancte servarunt pii homi-
nes in usum aliorum simili corruptorum morbo. Quare
etiam nullis defunctorum insignibus, sed saluberrimis e-
jusmodi experimentis ornatum accepimus celebre olim
Æsculapii templum. Multiplici igitur periculo nata est
materia informis, ex qua aurea aliqua ætate conderetur
Palatium Salutare. Sola enim observationum farragine
prisca illa & simplicissima continebatur Medicina, cui an
Hippocrates, vel alius quisquam, primam dederit formam,
manca vetustissimi ævi monumenta decidere vetant. In-
terim hæc erant artis initia.

§. II.

Quum vero animadverterent etiam veteres medicamenta maxime proficua casu simili interdum fallere, nec voto semper respondere, sed quæ alios juvarent, nocere aliis remedia, nodo implicabantur gordio, qui solvi non poterat sine ulteriori consideratione *Morbi & Medicamenti*. Ordinatis itaque observationibus systematicam assumere formam Medicina cœpit, cujus facilem in praxi usum videntes medici magis adhuc scientificam desiderarunt. At novam ingrediendo viam, pro sua quisque hypothese, novas non observare, sed fingere morbos & medelas infausto omine orsus est, unde tanta in scientiam salutarem sensim irrepfit rerum confusio & incertitudo, ut dici non possit, quantum inde decepti fuerint Medici etiam hodie celeberrimi, quamque dissentientia de morbis pariter ac remediis judicia enata sint.

§. III.

Loquor Pathologiam; quoties enim variantes ibi lectiones recordor, non possum non mirari prudentiorum industriam Medicorum, qui confusis morborum ideis contenti, nec ipsi morbum rite distinguere, nec de morbi genere inter se convenire valent, adeo ut, quot hodie Medici ad eundem accedunt ægrotum, tot fere diversis hic obnoxius morbis in opprobrium artis dicatur. Quum vero meum non sit, tantas dirimere lites, hoc loco sufficiat, ea modo delibare, quæ plantori dicendorum intellectui inserviant. Quadruplici autem ratione necessario considerandum statuo quemlibet morbum, nempe qua Signa, Essentiam, Causam, & Principia. *Signa* morborum ea sunt symptomata, per quæ morbi a se invicem dignoscuntur & de his convenire inter omnes & potest & debet: ita si quis in ægroto observaverit Febrim acutam cum pulsu duro, Dolorem thoracis puncturium, Dyspnœam & Tussim, dubitare non debet, quin adsit Pleuritis.

Essen-

Essentia morbi ea est, sine qua morbus concipi nequit & unde ratio reddi potest symptomatum. Sic *essentia Pleuritis* inflammationi pleuræ adscribimus, sine hac enim nec *Pleuritis* intelligi, nec ratio symptomatum pleuriticorum reddi potest. *Causa morbi* est, quæ morbum ita producit, ut hac sublata etiam tollatur morbus. Hanc fateor altioris esse indaginis, adeo ut cum *Physiologia* subtiliori plurimum adhuc lateat, inquirenda sedulo omnibus, quibus inveniendi spes superest, iis, quod doleo, denegata, qui morbi causam inter & effectum nullum discrimen admittunt: causa *Pleuritis* in obstructione sanguinea vasorum minimorum pleuræ, stimulo ibidem excitata, consistere videtur, argumento similis obstructionis externæ, quæ facta resolutione abit cum omnibus, quibus erat stipata, symptomatibus. *Principium morbi* est, quod morbum producere potest; sic potus frigidus in corpore æstuante *Pleuritidi* principium præbet, quatenus illam producere potest, quamvis necessario non producat, nec proximam dictam causam constituat. *Causa remota principium metaphysicis* dicitur atque causæ Medicorum *Procatasticæ* non minus, quam *Proëgumenæ* huc omnino pertinent. Quis non miretur consulisse adeo diversa *Practicorum* plurimos?

§. IV.

Nec vero *Therapiæ*, scientiarum omnium saluberrimæ, mitius fatum fuit: *Materia enim medica*, quæ in cognitis pellendis morbis tantum non omne fert punctum, ea semper laboravit dogmatum incertitudine, ut totam artem nil nisi errorum nunquam inter se conciliandorum farraginem, diceres, donec, novo jam in *scientia Naturali* accenso lumine, etiam hæc, ut filia haud illegitima, nonnullis apud nos radiis illustrari cœpit. Etsi enim ab illo inde tempore, quo in modum agendi medicamentorum inquirere, utile duxerunt sapientiores Medici, nulli

pepercerunt operæ, adeo tamen ineptas & a rerum natura alienas tentarunt vias, ut nisi superessent planiores, utique desperandum foret de tanto scientiæ fulcro.

§. V.

Missis itaque veterum pariter ac recentiorum ab Astrologiæ, Signaturæ & Spagiriæ fabula deductis viribus, nos modum agendi medicamentorum non fabulose, sed naturæ convenienter determinare conabimur. Quum enim omnibus in confesso sit, eum præcipue in finem Gustus Olfactusque organa animalibus concessisse Sapientissimum Creatorem, ut, tanquam tot ante ostia custodes, ingerendorum naturam examinarent, ne quid intromitteretur hospitali inimicum & noxium, cumque nec plura his addere organa Perfectissimo Auctori placuerit, hæc duo omni negotio credimus sufficientissima. Quare etiam indefessus Naturæ Interpres, quem pro solidissima informatione medica æternum veneror, Cel. D. Præses Medicamentorum vires solo Sapore & Odore dijudicandas primus rite intellexit, evicit ac erudito aperuit orbi.

§. VI.

Ut vero duplicem ingerendorum qualitatem, Sapidam nempe & Odoratam, sic duplicem in corpore machinam animadvertimus, Animalem puta & Vitalem; illam Nervosam, hanc Fibrosam, quas inter ille est nexus, ut una sine altera subsistere nequeat. Quamvis autem nulla harum lædi sine vitæ dispendio, nec altera pati illæsa altera possit; modus tamen, quo læduntur & juvantur, est diversissimus: sic hominem aqua vel partu extinctum, volutando, fricando, ejusque pulmones inspirando, vitæ quasi reddimus, dum nidore vel alia nervorum læsione delinquentem, volatilibus naso admotis & fotu olidorum, excitamus. Itaque pro duplici hæc machina, duplici etiam vi nos afficiunt medicamenta, unde regula Cel. D. Præsidis, vel millenis stabilita exemplis: *Sapida in Fibras; Olida*

in Nervos agunt. Quod ad *Sapida* itaque eorundemque agendi modum attinet, horum theoria satis exposita est, nec vero *olidorum* virtutes relictæ in obscuro sunt, Ita tamen ut argumenti tribuamus difficultati, quod inventis quædam addere, e novis collecta observationibus, liceat.

§. VII.

Quemadmodum jam *Sapida* diversa diversos exserunt effectus in *Systemate Fibroso* ejusdemque actionibus vitalibus; sic *Olida* diversa diversimode agunt in *Systemate Nervoso* & actionibus inde pendentibus animalibus, eo tantum discrimine, quod *Olidorum* actiones, latente adhuc intima nervorum natura, difficilius intelligantur. Functiones enim nervorum, num a spiritibus dictis animalibus, vibratione aliqua, materia electrica, vel quacunque re alia, pendeant, hoc fateor me cum ignarissimis ignorare. Id certo novimus, his nos sentire & motus dirigere, pro nervorum conditione, plus minus alacere; hinc læsis nervis sensus motusque turbari, qui refocillatis nervis momento citius redeunt constanti lege.

§. VIII.

Quamvis vero solo odoratu volatilia æstimare homini datum sit, eademque propria vi in nervos agant, hoc opus, hic labor, ut diversas *olidorum* species discernere queamus. Summa itaque & distinctissima illorum divisio ea est, qua, communi plurimorum sensu, in *Suaveolentia* & *Graveolentia* distribuuntur, quorum ut qualitates, ita & vires toto cælo differre quotidie experimur, sed nimis foret longum omnes odorum species hic loci percurrere. *Graveolentia* sunt, præcipue vero vegetabilia, quorum hac vice ingenium & mirum agendi modum paucis explicare, quantaque fieri perspicuitate potest, exponere constitui.

§. IX.

Neque tamen nova sunt omnia, quæ de *graveolentibus* habemus; multa, observatione satis vulgari, didicimus.

mus. Quis nescit foetida naribus admota nunquam tolerari, sed subitanam capitis revulsionem efficere, eademque ore assumta, ægerrime, deglutiri, sed intime potius clausa pharynge, risu injucundo mox exspui? Quis nescit medicamenta odore teterrima, nimia dosi ingesta, in ventriculo nauseam & vomitum, in intestinis catharsin, in arteriis sudorem, in renibus diuresin, in utero menorrhagiam, abortum, alibi alios, caussari tumultus, donec expellantur; si autem virium defectu expelli nequeant, vel externe corpori applicentur, tum sopores, paralyses & sexcenta alia periculosa symptomata inducere, adeo ut a multis retro temporibus pro atrocissimis, nec immerito, reputata sint venenis.

§. X.

Factum hinc est, ut ingrata illa plurima, utpote summe noxia, ægrotis porrigere non auderent timidiores Medici, in primis illi, quibus dulce *expecta* in symbolo erat, nescientes Toxicam a medicamentis non natura, sed dosi differre. Hinc in lustrandis Practicorum maxime celebrium placitis tempus non leve terendo, heroica remedia plurima adeo infamata ubique inveni, ut non parum admirarer sententiam Cel. D. Præsidis, qua exclamare non dubitavit: Venena etiam teterrima caste usurpata præstantissima nobis præbere medicamina. Postquam vero ea, qua solet argumentorum perspicuitate novum dogma firmasset, dicere vix possum, quanto illud usui semper mihi fuerit in gravioribus enodandis medicinæ nodis. Expositis igitur illis Graveolentium virtutibus, de quibus inter Observatores præstantissimos convenit, paucis videndum erit, quid inde colligi, & quomodo decantata imprimis Chirurgorum Repellentia inde explicari paulo luculentius queant.

§. XI.

§. XI.

Jam vero cum Graveolentia raro pura, sed quemadmodum Svaveolentia, sapidis sæpius mixta, protea Flora producat, adeo ut, pro Sapore diverso, acri vel amaro, diversimode agant; juvabit Graveolentium aliquas constituere Classes, quarum 1:ma *Subinsipida*, 2:da *Acrida*, 3:a *Amarata* complectatur; Ordines autem ab odorum fortitudine vel debilitate desumimus, prout sequentia monstrant.

Classis I:ma

GRAVEOLENTIA SUBINSIPIDA.

Ord. 1. Fortiora.

1. DATURA. *Vis.* Narcotica, Amnestica, Phantastica, Dementans, Exhilarans, Anodyna, Hypnotica, Purgativa, Repellens. *Ufus.* Dementia, Carcinoma, Varix ani, Ulcus ambustum.
2. HYOSCYAMUS. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Dementans, Anodyna, Hypnotica, Antispasmodica, Repellens. *Ufus.* Odontalgia (fumus), Epilepsia, Hæmoptysis, Varix ani.
3. TABACUM. *Vis.* Anodyna, Antispasmodica, Purgativa, Repellens, Vomitoria, Errhina, Exanthematica, Phthiriaca. *Ufus.* Colica, Hysteria, Dysenteria, Asthma, Tussis, Tertiana, Pleuritis, Icterus, Scabies, Tinea, Scirrhus, Hydrops, Ulcus. *)
4. MANDRAGORA. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Dementans, Anodyna, Antispasmodica. *Cortex radice acris* Purgans, Pellens. *Ufus.* Podagra, Epilepsia, Hysteria, Scirrhosos tumores *cocta cum lacte radix repellit magis, quam Cicuta vel Nicotiana.*
5. BELLADONNA. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Anodyna, Antispasmodica, ita ut Paralyfin & in floridis nimium puellarum genis pallorem efficiat, summe Repellens.

Ufus

*) *Tabacum acre inter offines bis collocamus.*

*Ufus: Dysenteria, Rubedo, Bubo mammarum, Fistula, Cacoëthes. Sed dignum omnino est Venerandi RAJI testimonium, quod integrum adjungatur: Belladonnæ inquit folia recentia mammis imposita earum durities & tumores etiam canerosos emolliunt & discutunt, ut sæpius expertus generosus Vir D. Percivallus Willughby, quod a nemine hæctenus, quod novimus proditum, publicæ utilitatis causa, sine invidia communicamus. Horum & ipse non ita pridem effectum vidi oppido mirabilem: Nobilis Domina mihi nota ulcusculo cuidam paulo infra oculum, quod canerosum esse suspicabatur, folii recentis particulam imposuit, quæ noctis unius spatio uveam oculi tunicam adeo relaxavit, ut omnem explicandi sese & pupillam contrahendi facultatem ei adimeret; siquidem pupilla clarissimo lumini obversa vehementer dilatata perstitit, socio & pari suo plus quadruplo amplior, donec amoto folio uvea musculosam vim suam & tonum paulatim recuperaret. Atque hoc ne quis casui imputet tribus distinctis vicibus in seipsa experta est eadem Nobilis Domina, me quoque tunc temporis forte fortuna præsentente & spectante. Chirurgus, qui cancerum eradica-verat & ulcus sanaverat folii particulam loco imposuit ad humores repellendos, ne eodem rursus confluerent, verum ob Symptoma prædictum eandem removere coactus fuit. Hist. Pl. Lond. 1686. p. 680. *)*

6. SO-

**) Miramur non majoris factum Raji coëtaneis heroicum adeo medicamentum, quin ad nostra usque tempora delitesceret in obscu-ro; memoriam vero Celeb. Lambergen Profess. Grönning. cui, 1754. edita Ephemeride persanati Carcinomatis, excitatam de novo, egregie probatam & introductam in orbem, medelam debemus, nulla unquam ætas delebit.*

6. SOLANUM NIGRUM. *Vis.* Anodyna, Hypnotica, Paregorica, Repellens. *Ufus.* Proctalgia, Phlegmone, Bubo, Paronychia.
7. DULCAMARA. *Vis.* Anodyna, Repellens, Pellens, Purificans. *Ufus.* Rheumatismus, Dysmenorrhœa lochialis, Asthma, Pleuritis, Peripneumonia, Icterus, Scabies, Contusio.
8. RIBES NIGRUM. *Vis.* Anodyna, Repellens, Pellens, Purificans. *Ufus.* Rabies, Hydrophobia, Dysenteria, Ictus serpentum.
9. VULVARIA. *Vis.* Antispasmodica. *Ufus.* Hysteria, in conserva aut infuso &c. testimonio Anglorum.
10. PAPAVER NIGRUM & RHOEAS. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Dementans, Exhilarans, Anodyna, Hypnotica, Langvesciens, Antispasmodica, Antemetica, Obstruens, Emphractica, Sistens, Paregorica, Paralytica ut Belladonna. *Ufus.* Pervigilium, Morbi Dolorifici, Convulsi & Evacuatorii omnes, Phrenitis.
11. NYMPHÆA ALBA & LUTEA. *Vis.* Anodyna, Hypnotica, *Ufus.* Gonorrhœa, Febres.
12. SCROPHULARIA FOETIDA & AQUATICA. *Vis.* Anodyna, Anthelmintica. *Ufus.* Tormina, Scabies, Varix ani, Vulnus.
13. LINARIA. *Vis.* Anodyna, Pellens, Purificans, Repellens. *Ufus.* Ophthalmia, Icterus, Varix ani.
14. CANNABIS. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Dementans, Anodyna, Repellens. Aqua itaque, in qua Cannabis macerata, ob dosin nimiam multis læthalis evasit. *Ufus.* Leucorrhœa, Gonorrhœa, Icterus.
15. STACHYS *sylvatica* & 16. PARIS *folia teterrimæ, ut* & 16. LACTUCA *Virosa, ob odorem Nicotianæ huc pertinent, quamvis hodie inexpertæ, non officinales.*

*Ord. 2. Debiliora. *)*

1. CROCUS. *Vis.* Exhilarans, Anodyna, Hypnotica, Antispasmodica, Antemetica, Repellens, Emmenagoga, Exanthematica. *Ufus.* Colica lochialis, Dysuria, Dysenteria, Menorrhagia lochialis, Dysmenorrhœa, Asthma, Icterus.
 2. CALENDULA. *Vis.* Pellens, Exanthematica. *Ufus.* Vertigo, Ophthalmia, Febres Exanthematicæ.
 3. NERIUM non officinale, Hypnoticum.
 4. JASMINUM. *Vis.* Narcotica, Anodyna. *Ufus.* Dyftocia.
 5. NYCTANTHES?
 6. POLIANTHES } odore Jasmini, nobis non officinales.
 7. VIOLÆ flores. Narcotici & Anodynini in Tuffi.
 8. CHEIRI flores. Narcotici & Anodynini in Dyftocia.
 9. TILIA. Anodyna in Vertigine, Antispasmodica in Epilepsia.
 10. PRIMULÆ VERIS Radix. Narcotica, Exhilarans, Anodyna. *Ufus* in Cephalalgia
 11. NARCISSUS. Narcotica floris vis est, Medicis non usitata. **)
 12. SATYRIUM. Narcoticum, Exhilarans, Anodynum & Aphrodisiacum in Sterilitate, Apoximero, Dysenteria & Tabe laudatur.
- Ceterum parum usitantur debiliora, præter solum Crocum, qui etjam, ut ceteris fortior, ad priorem non male ordinem referatur.

Classis II.

GRAVEOLENTIA ACRIA.

Ord. 1. Fortiora.

1. VALERIANA MAJOR & MINOR. *Vis.* Narcotica, Anti-

*) *Quæ debiliora hic dicimus Graveolentia, grata quidem initio sentiuntur, at copiosius hausta ingrata fiunt, non aliter ac vina arte meracissima.*

**) *Odor teterrimus radicis & plantæ, Wepfero venenatissimus, mitior in flore factus, vim habet unde nomen.*

- Antispasmodica, Purgans, Pellens. *Ufus.* Epilepsia, Hysteria, Hæmoptysis, Ulcus.
2. IRIS *fœtida*. *Vis.* Narcotica, Antispasm. Purgans, Pellens. *Ufus.* Hysteria, Scrophula.
 3. JALAPA. *Vis.* Purgans. *Ufus* communissimus.
 4. CONVULVULI omnes, SOLDANELLA, SCAMONIIUM, MECCHOACANNA, TURPETHUM, *acri-amaricantes* optime purgant in morbis chronicis.
 5. SAMBUCUS. *Vis.* Narcotica, Anodyna, Purgans, Sudorifera, Diuretica, Lactifuga.
 6. EBULUS, Sambuci species fortior. *Vis.* Narcotica, Anodyna, Drastringa, Sudorifera, Diuretica, Lactifuga. *Ufus.* Leucorrhœa, Hydrops, Scabies.
 7. LILIUM CONVALLIUM. *Vis.* Narcotica, Antispasm. Errhina. *Ufus.* Epilepsia, Coryza.
 8. COLCHICUM. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Dementans, Drastringa, Exanthematica, Phthiriaca. *Ufus.* Hydrops. Amuletum Pestis.
 9. ASARUM. *Vis.* Vomitoria, Purgans, Diuretica, Emmenagoga, Errhina. *Ufus.* Melancholia, Coryza.
 10. PÆONIA. *Vis.* Narcotica, Antispasmod. Anodyna, Hypnotica, Emmenagoga. *Ufus.* Morbi Convulsivi: Eclampsia, Epilepsia.
 11. STAPHISAGRIA. *Vis.* Drastringa, Exanthemat. Anthelmintica, Phthiriaca. *Ufus.* Nullus adhuc specificus.
 12. SABADILLÆ planta ipsa ignota, sed capsulæ indicant affinitatem cum præcedenti & Aconito, cum quibus etiam viribus convenit.
 13. ACONITUM s. NAPELLUS, Anthoræ convenit, sed fortior,
 14. ANTHORA, Aconiti species. *Vis.* Purgans, Exanthematica, Anthelmintica, Antithora. *Ufus.* Febres Exanthematicæ.
 15. NIGELLA. *Vis.* Pellens, Errhina, Sialagoga, Sternutatoria,

- tatoria, Anthelmintica. *Ufus.* Coryza, Catarrhus.
16. AQUILEGIA. *Vis.* Pellens, Exanthematica, *Ufus.* Febres Exanthematicæ, Dystocia, Icterus.
17. HELLEBORUS NIGER. *Vis.* Purgans, Pellens. *Ufus.* Melancholia, Hypochondriasis, Mania, Chlorosis, A-
chores.
18. HELLEBORUS ALB. *Vis.* Drastringa, Sternutatoria. *Ufus.* Cophosis, Mania, Epilepsia, Quartana, Scabi-
es, Phthiriasis.
19. ARNICA. *Vis.* Vomitoria, Purgans, Diuretica, Erri-
na, Repellens. *Ufus.* Epilepsia, Sugillatio, Casus ab alto.
20. MERCURIALIS. *Vis.* Hypnotica, Purgans, Repel-
lens, *perperam Emollientibus annumerata vid. Raji,*
Angl. 138. *Ufus.* Siphilis.
21. DRACONTII }
22. STAPELII } flores teterrimi, non dum experti.

Ord. 2. Debiliora.

1. ASSA FOETIDA. *Vis.* Carminativa, Pellens, Antispasm. Repellens, Anthelmintica, *Ufus.* Hysteria, Asthma, Sphacelus, Paronychia, Bubo.
2. LEVISTICUM. *Vis.* Carminativa, Pellens, Exanthematica. *Ufus.* Hysteria.
3. APIUM. *Vis.* Carminativa, Pellens. *Ufus.* Febres. NB. Cæcitatem, Vertiginem, Apoplexiam & Epilepsiam re-
fuscitat.
4. CICUTA. *Vis.* Repellens. *Ufus.* Bubo, Carcino-
ma, Herpes.
5. GALBANUM. *Vis.* Anodyna, Antispasm. Emmena-
goga, Repellens. *Ufus.* Hysteria.
6. CORIANDRUM. *Vis.* Hypnotica, Carminativa. *U-*
fus. Hysteria, Tertiana.
7. SAGAPENUM. *Vis.* Eccoprotica, Pellens, Repellens. *U-*
fus. Obstipatio, Asthma.
8. CYMINUM. *Vis.* Carminativa, Diuretica, Emmenag.
Ufus. Colica flatulenta, Hysteria, Tympanites. 9. A-

9. ANETHUM. *Vis.* Hypnotica, Carminativa, Lactifera.
Ufus. Pervigilium, Colica, Singultus.
10. AMMONIACUM. *Vis.* Eccoprotica, Emmenagoga, Repellens. *Ufus.* Hysteria, Dysuria, Obstipatio, Asthma.
11. ALLIA *officinalia omnia.* *Vis.* Pellens, Maturans, Anthelmintica. *Ufus.* Cophosis, Otagia, Nephritica, Hysteria, Hæmorrhagia, Tuffis, Hydrops, Bubo.
12. SCORODONIA, *Petiveriæ species, odore Allii, non officinalis.* *Vis.* Sudorifera, Diuretica. *Ufus.* Febres Intermittentes, Exacerbantes?
13. RUTA. *Vis.* Carminativa, Pellens, Exanthematica, Anthelmintica. *Ufus.* Cephalalgia, Ophthalmia, Epilepsia, Hysteria, Singultus.
14. SCORDIUM *amaro-acre.* *Vis.* Pellens, Antiputredinosa, Anthelm. *Ufus.* Febres, Gangræna, Ulcus.
15. ALLIARIA. *Vis.* Diuretica. *Ufus.* Asthma, Ulcus sphaelefcens.
16. GERANIUM *Robertianum.* *Vis.* Anodyna, Pellens, Repellens, Lactifuga. *Ufus.* Colica, Nephritica, Hysteria, Profluvia, Bubo, Carcinoma, Vulnera, Ulcera.
17. HYPERICUM *hircinum, odore Geranii Robert. &*
18. THLASPI *allineum, Scordii odore, nondum nostras officinas intrarunt.*

Classis III.

GRAVEOLENTIA AMARA.

Ord. I. Fortiora.

1. NUX VOMICA. *Vis.* Emetica, Pellens, Anthelmintica. *Ufus.* Cardialgia, Colica, Gonorrhœa, Febres Intermittentes, Tania.
2. ALOE. *Vis.* Purgans, Pellens, Balsamica, Anthelmintica. *Ufus.* Obstructiones, Icterus.
3. RHABBARBARUM VERUM & RHAPONTICUM *amaro-adstringens.* *Vis.* Purgans, Antacida, Exanthematica. *Ufus.* Colica, Diarrhœa, Dysenteria, Leucorrhœa, Gonorrhœa, Lenta infantum, Icterus.
4. A-

4. **ANAGYRIS.** *Vis.* Purgans, Pellens, Repellens. *Ufus.* Abortus, Tumores. Ita vero de ipsa commentatur **RAJUS:** *Folia Anagyridis trita & imposita tumores reprimunt. Sicca in passo pota menses & secundas movent, fœtum mortuum ejiciunt. Semen commanducatum vomitiones movet, nec semen tantum, sed & Folia unanimi Botanicorum consensu. Accidit interdum, ut Capræ & Oves in Creta fame vexatæ hujus folia depascant, licet odoris sint ingrattissimi & postea ex horum lacte caseus conficiatur, quo si forte ignarus aliquis vescatur aut lac bibat, statim excitantur tum vehementissimi vomitus, tum fluxus ventris; & cum sæpissime accidat, multi in discrimen vitæ veniunt, quam ob causam frutex omnibus sit exojus. Raji Hist. Pl. p. 1722.*
5. **SENNA,** Cassiæ species. *Vis.* Purgans, Pellens, Repellens. *Ufus.* Obstipatio, Herpes.
6. **EUPATORIUM.** *Vis.* Purgans. *Ufus.* Cachexia, Hydrops.
7. **ARISTOLOCHIA ROTUNDA, LONGA & VULGARIS.** *Vis.* Vomitoria, Pellens, Repellens. *Ufus.* Podagra, Cachexia, Scabies, Fistula, Cacoëthes.
8. **SERPENTARIA VIRGINIANA,** Aristolochiæ species. *Vis.* Pellens, Exanthematica, Anthelmintica. *Ufus.* Febres Intermittentes, Exanthematicæ, Morsus.
9. **BUXUS.** *Vis.* Purgans, Pellens. *Ufus.* Epilepsia, Hysteria.
10. **JUGLANS.** *Vis.* Narcotica, Paralytica, Pellens, Anthelmintica. *Ufus.* Dysenteria.
11. **COLOCYNTHIS.** *Vis.* Drastringa, Emmenagoga, Abortiva, Anthelmintica. *Ufus.* Epilepsia, Obstipatio.
12. **CUCUMIS ASININUS, ELATERIUM.** *Vis.* Drastringa, Hydragoga, Emmenag. Abortiva. *Ufus.* Coryza, Leucorrhœa, Asthma, Hydrops, Scrophula.

13. BRYONIA. *Vis.* Purgans, Pellens, Anthelmintica. *Ufus.* Mania, Rheumatismus, Epilepsia, Hydrops, Sugillatio.
14. MUSCUS ERECTUS. *Vis.* Draffica, Abortiva, Phthirica. *Ufus.* Hydrops.
15. MELIANTHUS &
16. TAGETES, odore Anagyridis, inexpertæ.
Ord. 2. Debiliora.
1. ROSMARINUS SYLVESTR. *Vis.* Narcotica, Phantastica. Exanthematica. *Ufus.* Scabies.
2. CARLINA. *Vis.* Pellens, Stomachica. *Ufus.* Hypochondriasis, Hysteria, Scabies.
3. CARDUUS BENEDICTUS *Vis.* Purgans, Pellens, Antacida, Tonica. *Ufus.* Vertigo, Hemisrania, Tertiana, Pleuritis, Pestis, Sugillatio.
4. TANACETUM VULGARE. *Vis.* Carminativa, Pellens, Antiputredinosa, Tonica, Anthelmintica. *Ufus.* Hysteria, Tertiana, Cachexia, Hydrops.
5. BALSAMITA, species Tanaceti. *Vis.* Pellens, Stomachica. *Ufus.* Melancholia, Hysteria.
6. ABSINTHIUM. *Vis.* Pellens, Antacida, Antiputredinosa, Anthelm. *Ufus.* Iliaca, Nephritica, Icterus, Hydrops, Hernia, Tinea, Achores, Gangræna.
7. ABROTANUM & CINA Ablinthio, ut congeneres conveniunt.
8. MATRICARIA. *Vis.* Anodyna, Emmenagoga, Lactifuga. *Ufus.* Anorexia, Iliaca infantum, Colica, Hemisrania, Hysteria.
9. COTULA FOETIDA. *Vis.* Anodyna, Pellens, Repellens. *Ufus.* Hysteria, Hydrops, Scrophula.
10. MYRTUS BRABANTICA. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Exanthematica. *Ufus.* Scabies.
11. SABINA. *Vis.* Emmenagoga, Anthelmintica, Exanthem. *Ufus.* Odontalgia, Tinea, Gangræna.
12. LU-

12. LUPULUS. *Vis.* Narcotica, Phantastica, Anodyna, Tonica. *Ufus.* Nephritica, Phrenitis, Luxatio, Alopecia.
13. AMYGDALÆ AMARÆ. *Vis.* Carminativa, Pellens, Anthelmintica. *Ufus.* Cophosis, Colica.
14. LAUROCERASUS, præcedenti affinis, viribus congruit. *)

§. XII.

Quibus breviter expositis, Graveolentium vires non melius intelligentur, quam attendendo ad Functiones Nervorum, in quos Olida ut Odorata agunt, & considerando Svaveolentium in iisdem effectus, ut contraria juxta se posita magis elucescant.

Duo autem sunt Nervorum Functiones generales, *Sensus* nim. & *Motus*, quos plerumque simul, raro seorsim, afficiunt volatilia, sive grata illa, sive ingrata fuerint. Hinc duplex consideranda olidorum actio, altera in Sensu, in Motu altera, quæ ut effectu diversa, ita separatim quæque pertractanda.

§. XIII.

Homo perfecte sanus, cujus Encephala bene & Nervi se rite habent, præsentia optime sentit, olim percepta tenet, absentia imaginatur, sobrie judicat, naturæ consona cupit, contraria averfatur, moderate dormit, vigilat alacer, animo semper hilaris omnisque expers doloris; donec male affectis nervis, ruant in pejus omnia, adeo ut cognoscitiva facultas vel mille lædatur modis; unde Sopores, Dolores, Somnolentiæ, Pervigilia, Obliviones, Phantasmata, Infantiæ, Cupidines, Horrores, Lætitia, Mærores, Amores Furoresque enormes, ac innumera fere alia male sana oriuntur Symptomata, solis ferme compescenda Medicamentis Nervinis, Sensus imprimis afficientibus. Itaque si ad allatas de Graveolentibus observa-

tiones

*) *Addimus inexperta, ut horum odore cum his utile aliquando fiat periculum.*

iones recurrere placeat, jam satis abunde patebit, quibus polleant virtutibus & cur tantum valeant in memoratis tollendis, producendisque contrariis, morbis. Ut enim *Svaveolentia*, novam quasi vitam nervis inflando, sensus quoscunque momento citius excitant, sic illis opposita *Graveolentia*, nervorum vitam viresque suffocando, sensus facile omnes primo quasi impetu stupefaciunt, confundunt & sopiunt.

§. XIV.

Quamvis autem ex allatis antea observationibus constet, Soporifera esse *Graveolentia* omnia; pro diverso tamen & singulari odore, dosi ac usu, diversas adhuc obtinent vires, quas compendii gratia suis insignire nominibus solemus. Hinc *Narcotica* sunt, quatenus horum usu sensus quicunque hebescunt; *Amnestica* quatenus imaginationis facultatem, eam præcipue, quam memoriæ nomine colimus, sæpe infringunt; *Phantastica* (temulentia) quatenus phantasmata aliena & vertiginosas maxime tenebras efficiunt; *Dementantia* (inebriantia) dum cujuscunque generis vel speciei insanias inducunt; *Exhilarantia* dum animi & *Anodyna* dum corporis dolores tollunt; *Hypnotica* quatenus, somnum naturalem procurando, insana pervigilia arcent; Hæc omnia ea efficere videmus, mechanice intelligere non possumus.

§. XV.

Altera nervorum Functio Motus negotium erat; nervos enim non Animalibus tantum, sed Vitalibus etiam & Naturalibus dictis actionibus præfectos erudita Anatomicorum pariter ac Physiologorum experientia testatur. Hinc ceteris paribus & rite constitutis nervis, nulli hætenus deficiunt in corpore motus; Actiones Musculorum vigent, sæcernuntur debite Secernenda, moderata efficitur Excretio, facillime respiratur, & liberrimus ubique deprehenditur Sangvinis circulus; donec, cum deficientibus nervis,

C

turbari

turbari motus incipiunt: Hinc Paralyfes, Convulfiones, Lipothymia, Spafmi, Tremores, Rigores, Epilepfia, Hysteria; hinc Sudores, Ifchuria, Dysuria, Diabetes, Obftipationes & varii fluxus Alvi, Vomitus, Ructus & varii generis Hæmorrhagia, hinc Dyfpnœa, Afthmata, Tuffes, Singultus; hinc omnium ordinum Febres, irritatis nimium nervis, tota die generantur; Neque tamen in his malis inexper-
tas deprehendimus Graveolentium vires; Quemadmodum enim Fragrantia, vivificando nervos, quoscunque motus ci-
ent & excitant, Tetra e diametro motus incitatos, pro ma-
lignitate varia odoris, compescunt, retardant & penitus sæpe extingvunt, verum nervis Langvorem & Paralyfin inducendo.

§. XVI.

Postquam vero Tetra omnes in genere motus coër-
cere didicimus, nunc facile intelligimus vires eorundem
specialiores, non minus inter Practicos tritas. *Langvefa-*
cientia enim vocantur, quatenus motus musculares etiam
voluntarios, nervorum vires suffocando, debilitant. *Anti-*
spasmodica, quatenus spasticas & convulfivas musculorum
stricturas solvunt. *Antemetica* adhuc specialius dicuntur,
cum ventriculi convulfiones compescunt. *Obstruentia* in
primis viis sunt motum ibi tam peristalticum, quam con-
vulfivum tollendo. *Paregorica* sunt in fecundis veterum
dictis viis, pro pereximio eorundem in orgasmo sanguinis
febrili coërcendo refrenandoque usu. *Empbractica* in ter-
tiis viis appellantur, quatenus, nervorum ibi oscillationes
enervando, tam Secretiones, quam Excretiones remoran-
tur. *Sistentia* vero in specie audiunt, quia Hæmorrhagias
omnium felicissime sistunt. De quibus omnibus concor-
dissima habemus Practicorum testimonia.

§. XVII.

Sed restat adhuc morborum familia, in qua, si Fra-
grantissima excipiamus Resolventia, teterrime fœtentia
medi-

medicamenta ceteris omnibus palmam præripuisse, omnis testatur ætas; atque hæc vitia comprehendit externe prompentina, a quibus non inanis facta fuit conjectura ad similia mala occulta, iisdem, si ullis, abigenda remediis. Huc igitur omnis pertinet vasorum minimorum obstructio stimulo seu dolore juncta, quam, si vel Inflammatoriam vel quocunque alio nomine compellare quis voluerit, non refragabor, interim nec solam hic intellectam volo Chirurgorum Phlegmonem; Rubedinem enim morbosam, Suggillationem, Herpetem, Efferam, Varos, Scabiem, Psoram, Impetiginem, Lepram, Achores, Varices, Apostemata, Erysipelas, Furunculum, Bubonem, Rheuma (Sv. Fluss), Intertriginem, Rhagades, Elephantiasin, Ulcus, Fistulam, Caecæthen, Cariem, Carcinoma, Hernias, Luxationes, Fracturas & Vulnura excoriata, punctata, secta, contusa, lacerata, præter infinata, ejus generis congestiones internas, huc referendas puto, utpote quibus imposita fœtida, Tetra & Graveolentia *Repellentium* exoso multis titulo celebrantur.

§. XVIII.

Medicamenta vero dicta *Repellentia* quamvis non neglecta, male tamen intellecta, a plurimis fuerunt, nec Viri ceterum Experientissimi D. D. Alary & Kysbel, qui Anno 1741. ab Acad. Chirurg. Parisina, pro nova rei explicatione præmium obtinuerunt, argumentum ita duxisse ad umbilicum mihi videntur, quin ulteriori indigeat illustratione; præterquam enim quod *Repellentia* cum toto cælo diversis *Resolventibus* perpetuo confundant, Sicca etiam, Viscida, Stiptica & alia sapida pro repellentibus venditant, quæ tamen externe applicata ad partes interiores læsas nunquam perveniunt, & si eo vel penetrarent maxime, repellentium vires potius infringerent, quam juverent.

§. XIX.

Ut igitur melius patefcant singula, ponamus adesse
 C 2 stimu-

Stimulum in parte, quæcunque fuerit, externa; tum hunc amovere omni molimine ipsa natura tentabit; jam citatio-ri humorum circulo stimulus non cedit; ergo fortior adhuc excitatur febris, ruit summo impetu sanguis in partem stimulatam, vasaque minima, nervis ubique amplexa, ita distendit, ut, nisi arte cohibeantur stimuli, humores tenacissime infarcti, manente adhuc & crescente a tergo impetu, omnia rumpere totaque inflammatio in atram gangrænam, mortis nuntium, propendere videantur. Hic itaque ad Belladonnam, tanquam sacram ad anchoram, fugiendo, Tumorem tebro ex ea cataplasmate fovemus, donec, non ruptis, sed moderate solutis vinculis, recedat; atque hoc ipso opere Inflammationem Repellere dicimur, adeo ut *Repulsio* nihil aliud sit, quam materiæ obstruentis absque vasorum ruptura rejectio, & medicamenta audiant *Repellentia*, quæ talem efficiunt repulsionem.

§ XX.

Ulterius jam erit inquirendum, quomodo hoc in negotio agant laudata sæpius *Repellentia*, quod nunquam planius, quam ex nuper allatis graveolentium viribus, intelligi potest. Cum enim inflammatio omnis & maxime illa, quæ vergit in gangrænam, nervorum stimulo & orgasmo excitata, gravissimo dolori & impetui sanguinis violentissimo, sua debeat incrementa, sæpe sphacelo proxima; a medicamento repellente non aliud requiritur, quam ut vi anodyna dolorem & paregorica orgasmum valeat coercere; ablato enim sic nervorum stimulo & vasis simul paralytice relaxatis, tantum abest, ut sanguis ulterius propellatur, ut potius in spatia majora receptus, pristinum acquirat circulum. Jam vero ex præcedentibus novimus, *Graveolentia*, quæ omnium consensu optima, si non sola, *) sunt repellentia, nervorum functiones infringendo, omnem omni-

no,

*) *Præter Tetra & Frigida nulla novi corpora Repellentium nomine digna. Animi affectus nihil nunc moror.*

no, ubi opus est, dolorem & orgasmum compefcere. Ergo nullum est dubium, quin his ipsis facultatibus, nec alia methodo, dicta repellentia agant, quoties calidos repellunt tumores.

§. XXI.

In gratiam vero eorum, qui suorum principiorum sunt tenacissimi, ne explicationem datam adhuc fictam & hypotheticam habeant, unico argumento ulterius eandem confirmare liceat. Itaque, si Papaverina, ut nervis inimicissima, ubivis corpori applicata, dolorem & orgasmum perpetuo tollant; Si Belladonna Soporem & Paralyfin partibus subjectis inducat; Si Solana graveolentia, Datura, Hyocyamus, Mandragora, Nymphaea, Paeonia, Scrophularia Cannabis, alia, odore foetida, consentiente amplissima praxi medica, Anodynam & Paregoricam exercent virtutem; quid impedit, quo minus eundem in Dolore & Orgasmo inflammatorio praestent effectum, vel quanam esset ratio, cur ibi primum solitas amitterent vires anodynas & paregoricas, ubi tumores calidos repellunt. Certe aut nulla est, aut pro mea ingenii hebetudine nullam intelligo.

§. XXII.

Progrediamur ad nostros sapidis maritatos odores; nam, quid in his conjuncta valeant, omnium meretur attentionem. Quemadmodum acris & amara, mere talia, non facile patitur natura, sed omnes liquidorum fontes pro his diluendis aperire omnesque conatus pro pellendis intendere solet; sic Graveolentia acris vel amaris mixta, utpote ingrata omnia, multo adhuc difficilius accipit & pro malignitatis gradu citius serius respuit, nullo sibi otio relicto, antequam expurgata fuerint singula. Quod vero ex hac O-lidorum familia plurima & praestantissima habeantur instrumenta purgantia, non primis modo, sed mediis quoque & ultimis dicata viis, nunc demum intelligi & exinde colligi potest, quod Graveolentia, acris vel amaris juncta, vi sua

anodyna pariter ac paregorica, noxia illa tollant sympto-
mata, quæ acria & amara sola necessario crearent, argu-
mento drasticonum, quæ vel nihil, vel parum odoris ingrati
habent, qualia sunt Hermodactylus, Gummi Gutta, Ricinus,
Esula, plura, non nisi frigidissimis unquam porrigenda ca-
tharticonum heroibus,

§. XXIII.

Fiunt vero mixta illa Graveolentia, pro circumstan-
tiarum ratione *), nunc Emetica, Drastringa, Cathartica & Ec-
coprotica; nunc Carminativa & Ructatoria; nunc Diapho-
retica, Sudorifera, Diuretica, Emmenagoga & Abortiva,
nunc Errhina, Sialagoga & Expectoantia; nunc Anodyna,
Hypnotica, Paregorica & Antispasmodica, ubi nempe solo
odore agunt; nunc Repellentia, Lactifuga, cetera, ut nihil
nunc dicam de eximia eorundem in morbis tantum non o-
mnibus efficaciam, commemorato qualitatum prudenti
connubio unice tribuenda, nec aliunde rationi pervia.

§. XXIV.

Cum vero Sapida Graveolentibus mixta, vel sapore
contrario infringi, vel externe adhibita, pro nihilo reputa-
ri possint, duas in Scientiæ augmentum conficiamus regu-
las generales: *Quot sunt Graveolentia, tot Anodyna, Pare-
gorica & Repellentia; Quot Acria vel Amara Tetra, tot
Purificantia.* Quamvis enim de Animalium Lapidumque
odore hic agere non licuerit & docere, quomodo agant;
eorum tamen vires modo haud absimili posse dijudicari non
levi conjectura assequor, sed plena animi confidentia ha-
beo; interim ex iis, quæ hæctenus allata sunt, apparet ratio;
cur graveolens Castoreum in Spasmodis & Convulsionibus
hyste-

*) *Mutata dosi & methodo adhibendi, non idem expectari
debet medicamento effectus. Hinc omnibus constat, Alarum
subtilissime tritum efficere vomitum, grossiori modo pulve-
risatum purgare per alvum, coctione & vehiculo debilita-
tum excitare Sudores, Urinam, Lac, Menses, Lochia &c.*

hysteriis; cur teterrimum Stercus suillum externe in hæ-
 morrhagia narium spastica; cur Stercus humanum, ab anti-
 quissimis retro temporibus, dolenti carcinomati & fu-
 rentibus hodie paronychiis impositum, præsentaneo se-
 solatio commendarint; cur visus foricariorum citius hebe-
 scant & infelices stagnorum accolæ, initio floridissimi, gravi
 necessitate pallentes, tandem contabescant; ne quid dicam
 de oleis empyreumaticis aliisque ingratoribus præparatis,
 quorum ab odore vires nunc facile deducantur.

§. XXV.

Omnibus itaque constare crediderim, Tetra non defice-
 re, ubi Opium *Thebaicum* & Crocus *Orientalis* haberi ne-
 queunt. Innumera fere sunt hoc nomine opiata, quæ no-
 stratibus etiam pauperibus paravit prodiga ubique natura, &
 quorum vires hodie inexpertas futurus dies producet in fu-
 gam mille malorum. Tum vero omnium explicabitur ocu-
 lis, quo jure a graveolentibus abhorrentes Medici, omnem
 horum in morbis curandis usum, ut impium, damnarint.
 Quamvis enim negari non debeat, quin scetida incaute ex-
 hibita, multis deleteria fuerint, adeo ut de illis maxime va-
 leat canon: *Medicamenta heroica in manu imperiti, sunt uti
 gladius in dextra furiosi*. Caste tamen & prudenter admi-
 nistrata non magis vituperanda existimo, quam aciem acu-
 tam in arte perita manu. Quis hodie miles contentus gra-
 cili sagitta? Anceps cum acumine gladius & teter odore
 pulvis jam militi placent. Quidni cultellis scateant Chirur-
 gi, & suis gaudeant armis Medici, dum jura belli servant? Saltem
 hoc verum, quod Medici, Opiatis & ceteris orbatigraveo-
 lentibus, maxime forent inermes.

§. XXVI.

Quamvis vero adeo heroicum in his habeamus antido-
 tum, ut tanquam pyrro pulvere hostem, sic levi aura dolo-
 res atrocissimos & quosvis in corpore tumultus momento
 citius tollere queamus; cavete, Commilitones, ne inviti ar-
 ma

na capiatis. Non omnia naturæ conamina impetu coërcenda, nec Symptomata mitigando princeps abigitur malum; non folia spinasque carpendo, sed eradicando, noxia herba perit; Cognoscendus itaque morbus, cujus sunt Symptomata, isque profligandus, ut prostrato Domino, fugiant satellites; ignis, non fumus, exstingvendus. Quæ quidem utinam in praxi observarentur; observari autem non possunt, quamdiu suos non norunt hostes Medici. Tot enim in numero habere decet morborum Species, quot sunt generum causæ, vel principia appropriatis debellanda remediis. Tum vero rationalis facta Medicina usui publico melius interviret.

§. XXVII.

Duplex enim considerari meretur Morborum cura, Palliativa & Rationalis. *Palliativa* dicitur, quæ ita symptomatibus opponitur, ut nullus habeatur respectus morbi capitalis, unde hæc pendeant symptomata. Sic Amphimerinam *catarrhalem* palliative curamus, quando Cephalalgiam, Sitim, Calorem, Tussim &c. coercere unice studemus, nulla habita ratione speciei Febris vel Rheumatis unde plurima oriuntur symptomata. *Rationalis* autem cura ea est, quæ non tam symptomatibus, quam morbo ipsi & quæ hujus sunt, causis vel principiis occurrit. Ita Vertiginem *verminosam* non venæ sectionibus, nec acidis, nec aromaticis, aliisque; sed solis Anthelminticis, cum ratione, propellimus. Equidem non ignoro curam istam palliativam vel ideo Medicis magis familiarem, quia rationalis difficilius comparatur; Sed neque ardua fugienda. Hæc sola est, qua genuini Practici a circumforaneis & agyrtis dignoscuntur. Hac ipsa felices, sine hac infelicissimi semper fuere Medici, quorum licet placitis æque multa hominum millia sua crediderint capita; illos tamen præ ceteris laudamus, qui in medendo non artis principia spernunt; Nam in pellendis morbis non voluisse fat est. Sed manum

de tabula.

T A N T U M.